

adipe ungi et oblini consueverant, *rum.* lib. XXIX. c. II. Quid hæc unctio nisi amor est? Unge cardines januæ, et facile movebitur, nec stridorem edet. Ubi amor, ibi omnia facile et sine murmure fiunt. Tres amoris, seu Charites finxit antiquitas, quas nuptiis interesse debere contendit Plutarchus, apud Stob. et tum demum eas felices fore. Aliqui amorem præmittunt nuptiis, sed mox remittunt; his una Charis adfuit. Alii post nuptias sensim intepescunt, et hi alteram habent. Denique alii constanter amant, et hi tertiam quoque possident. Huc referri potest quod Prov. XVIII. dicitur: *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, Septuaginta vertunt, Charites.* Porro ad hoc requiritur, ut virtus in conjugio ametur, non fugax pulchritudo aut divitiæ.

XI. Peracta unctione sponsa limen transliebat, vel sublata transportabatur, teste Plutarch. quæst. XXIX. et hoc ex superstitione, qua limen sacrum reputabant, vel ad hoc edocti a natura; lepores enim et ursi saltu intrant in cubilia sua, ne ex vestigiis deprehensi, venatorum insidias patiantur. Sic ergo intrent cubile suum ambo contrahentes, ut nulli extraneo accessum ad suum thorum patefaciant vel ulla occasione aperiant, portas sensuum suorum erga alios omnes clausas habeant. Ita demum intrent, quasi viam ad exeundum nesciant.

XII. Ingressa domum nupta claves a viro accipiebat, ut rerum omnium domesticorum, quæ clavibus concludi solent, curam ac custodiam, tutam denique domum ac rei familiaris administrationem dispensationemque sibi permitti intellexeret. Cum enim inter eos communio sit corporum, cur non magis facultatum temporalium.

XIII. In pelle lanata statuebatur, sive ob lanificium, ut jam dixi: sive ut norit maritus uxori

sua esse parcendum, eamque sublevandam, ac velut vas fragilius a gravioribus oneribus examinendam, blanditiis fovendam. Hinc eam mandavit Deus non arandum in bove et asino, Deut. XXII. ob virium imparitatem. Num de bove et asino Deo cura? De conjugibus ergo intelligenda lex videtur.

XIV. Aqua et igni excipiebatur, teste Plutarch. quæst. I. Primo, ut sciret sibi cum viro suo vivendum, tametsi præter aquam et ignem nihil suppeteret, vel licet aqua et igni interdicerentur, adeoque in exilium pellerentur, quæ erat pena Rom. civium capitalis. Mirum hujus fidelitatis præbuit exemplum Herodias illa, cæteroqui impia femina; cum enim Caius imp. Herodem Lugdunum Galliæ ad perpetuum exilium condemnasset, ejus Herodiadi in Agrippæ fratris gratiam se illi parsurum promisit. At illa ad hæc: « Tu quidem imperator, ut tua majestate dignum est loqueris, sed mihi conjugalis amor impedimento est, quominus fruar hæc indulgentia: non enim æquum censeo, ut cui secundæ fortunæ fui socia, eum nunc in adversa deseram; » sicque una cum Herode perrexit in exilium, Joseph. I. XVIII. antiq. cap. IX.

XV. Denique, nuces jaciebantur et spargebantur pueris, ut se puerilibus omnibus ludis renuntiare, et juvenilia cuncta ludicra relinquere testarentur novi conjuges, Virgil. ecloga IX. Plin. lib. XV. c. XXII.

Aquam vidimus gentilium cæremoniarum in celebrandis nuptiis, sed et rationem convertendi eam in vinum et doctrinam salutarem ac christianam. Ergo aqua illa spernenda, vinum hibendum est, quod fiet, si observent christiani conjuges, quod illis per gentilium ritus demonstratum est.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

EVANGELIUM. MATTH., VIII.

In illo tempore: Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Jesus manum, tetigit eum dicens: Volo mundare. Et contestim mundata est lepra ejus. Et ait illi Jesus: Vide, ne cui dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum, et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum. Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade et vadit; et alii: Veni et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cælorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Et dixit Jesus centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

CONCIONES.

- | | |
|---|---|
| I. Quales esse debeant servi erga dominos, et domini erga servos. | IX. Præscripta militum. |
| II. Voluntatem nostram cum divina conformandam. | X. Documenta. |
| III. Confessionis necessitas ostenditur. | XI. Mystéria. |
| IV. Satisfactionem cur requirat Deus. | CONCIONES AUCTARIÛ. |
| V. Satisfactio quomodo faciendâ. | I. Servorum et dominorum mutua vices. |
| VI. Quomodo in inferno cruciandi quinque sensus. | II. Potens oratio centurionis. |
| VII. Quomodo in inferno torquendæ vires animæ. | III. Unde fletus in inferno. |
| VIII. Præscripta ducum militarium. | IV. Stridor dentium quid sibi velit in inferno. |
| | V. Vanæ gloriæ damna. |

CONCIO I.

QVALES ESSE DEBEANT SERVI ERGA DOMINOS,
ET DOMINI ERGA SERVOS.

- I. Heri sint servorum patres, et servi sint quasi filii.
— II. Heri sint servorum præceptores, et servi sint discipuli. — III. Heri sint servorum tutores, et servi sint veri servi.

THEMA.

Dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit. Matth. VIII.

Sanctus Augustinus, lib. XIII. de civitate Dei,

cap. III. scribit, histrionem quemdam in foro theatrum conscendisse, et confluentem ad eum frequentem populo dixisse, se scire, quid omnes isti velint et optent, qui ad forum confluxerunt. Quibus omnibus suspensus et silentibus: Hæc, inquit, omnium vestrum mens est. Vultis caro vendere, et vili vultis emere. Si hoc loco mihi histrionem istum imitari liceret, facile divinarem, quid vos etiam auditores hoc potissimum tempore, velitis et optetis. Præ foribus sunt dies, quibus heri novos sibi famulos, famuli novos heros quaerunt et adsciscunt. Dicamne igitur, quid

omnes vos optetis? Heri bonos famulos : famuli bonos optant sibi heros. Verum esse hoc, quod dixi, nemo est, qui nesciat, qua ratione vero heri erga suos famulos, famuli erga heros hoc anno se exhibituri sint : hoc et ego et vos nescimus. Unum certe scio, quod hodiernum evangelium depingat nobis bonum herum et bonum servum. Herum centurionem, servum ejus puerum; et si ad exemplum centurionis se accommodarent heri, auderem etiam dicere, servos hoc anno habituros bonos dominos : et si servi imitarentur puerum centurionis, dominos habituros bonos servos. Quare ut quod omnes optant, consequi possint, videndum est tum officium domini, tum officium servi. Ego dicam, ut sciat, vos facite, ut ne frustra dicam.

Tria potissimum officia invenio dominorum erga servos et servorum erga dominos. Illi sint velut patres, præceptores, tutores servorum. Hi vero sint velut filii, discipuli, clientes dominorum suorum.

I. Domini sint quasi servorum patres; idcirco enim patres potius familias vocantur, quam domini, ut notat Tertull. in apol. c. XXXIV. et nostra lingua (*Haussvatter.*) Ita vocabatur a servis suis Naaman ille, IV. Reg. V. Et de servo centurionis, Lucæ VII. dicitur : *Et erat illi pretiosus.* Unde non ejecit eum in hospitale, sed domi suæ infirmum tulit, pro salute ejus sollicitus instar patris. Nec immerito sane. Nam ejusdem Ecclesiæ et corporis Christi membra sumus, eundem patrem et judicem Deum habemus, nec scire possumus, uter Deo gratior et apud illum major sit, servusne an dominus. Hinc factum voluit S. Greg. hom. LXXVIII. in evang. et auctor imperf. hom. XXII. quod Dominus hic non rogatur ut veniret, volebat tamen venire ad servum centurionis; alibi v. c. a regulo rogatus ut descenderet et sanaret puerum ejus, noluit descendere; per hoc enim ostendere nobis voluit, se non aestimare externam hominis conditionem, sed animi nobilitatem, quæ sæpe in servis major est, quam in dominis. Hinc S. Martinus servis suis, S. Elisabetha ancillis suis vicissim inserviebant, nec plusquam frater et soror haberi ab ipsis voluerunt. Contingere etiam potest, ut aliquando servi imperent dominis. Quod fateri et agnoscere voluerunt gentiles Romani, quando in anno semel, festo Saturnalium, servis accumbentibus domini ministrare solebant, Macrobio et Athenæo, lib. XIV. testibus. Itemque Babylonii in festo, cui nomen Saceas, quod diebus quinque durabat, ubi servi dominis imperitabant suis, et e servis unus stolam regiam induebat, teste Ctesia, l. II. annal. Persic. et Beroso, l. I.

rerum Babylon. Sed multo magis hoc agnovit, et reipsa præstitit centurio noster, et ipse adhuc gentilis, qui non tantum non expulit e domo servum ægrum, verum etiam de ejus salute sollicitus fuit, et ipsemet ad Christum abire ac pro illo supplicare voluit, fierique servi sui servus. Videant hic domini, qui servos suos ægros deserunt, aut etiam e domibus ejiciunt et ad hospitalia mittunt, cum equos suos morbo affectos sedulo curent et retineant! Videant, inquam, quam dissimiles huic gentili sint. Cogitent id quod centurio dixit : *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus* : et quod apostolus ad Ephes. VI. *Quoniam ipsorum et vester Deus in caelis est.* Dei enim judicium subibit una cum servo dominus : et quantum erit dedecus domino, si a Deo aliquando postponatur servo suo, quem hic contempsit et vexavit? Si audiat : *Amice, descende, et da servo tuo locum?* Vicissim famuli exhibeant se ut filios erga suos dominos, quemadmodum apostolus indicat ad Ephes. VI. *Ex animo cum bona voluntate servientes, sicut Domino et non hominibus.* Unde debent primo, prompte et hilariter servire, non tam timore quam amore ducti, quemadmodum solent parentibus parere filii, et boni fideles Deo, cum bona scilicet voluntate. Bonorum angelorum est, quocumque mittantur a Deo, promptissime cum gaudio volare ad imperata facienda : dæmonum vero, quæ facere a Deo et viris sanctis jubentur, cum murmure peragere. Secundo, res domini tueri, conservare et augere tamquam proprias aut propriorum parentum; hoc enim est filiorum : quid dico filiorum? Cane non ferunt, si quid hostile in dominos eorum geratur, sed ulciscuntur et defendunt eos, eorum sarcinis incubant, ante fores excubant, peregrinos omnes velut hostes allatrant, ne quid de rebus domini contrectetur, et sibi facilius aliquid adimi patiuntur quam dominis. Siculus quidam caelulus, ut scribit Ælianus, in histor. animal. lib. VII. c. XXI. adulterum noctu ingressum, tamdiu præforibus allatrat, donec domino suo prodiderit. Unde bene olim constituta erat pœna servis, qui dominos non defendissent, ut canem per castra circumferrent, ut refert Christoph. Pflugius, apud Maiol. tom. IV. canic. coll. I. ut sic vel a cane officii sui monerentur et redarguerentur. Tertio, nihil sinistri de dominis loqui, sed potius eorum honorem defendere, secreta eorum tegere, etc. hoc vero quanti referat, doceri potest exemplo Davidis, qui cum aliquando dominum suum, Saulem videlicet regem, in spelunca dormientem offendisset, præscidit oram chlamydis ejus. Qui tamen mox pœnituit erroris et irreverentiæ

commisæ in dominum suum, percussitque cor suum, eo quod abscedisset oram chlamydis ejus. I. Reg. XXIV. Viderint ergo servi, qui famam dominorum suorum etiam in parvo lædunt. Qui enim levia quædam dominorum suorum vitia capiunt et coram aliis, dominis nescientibus, reprehendunt, teste S. Gregor. III. p. pastor. c. V. *Quasi oram chlamydis silenter incidunt.* Saulem a Deo abjectum et reprobatum esse sciebat David, seque ab eo ad necem quæri, et cum posset se de eo gravius ulcisci, oram tantum tunicæ ejus abscedit : et tamen hoc in se mox castigavit. Quanto gravius igitur delinquant servi, qui non dubitant dominos suos passim traducere et ludibrio exponere, a quibus ipsi læsi non sunt.

II. Domini sint quasi præceptores servorum suorum, eosque ignorantes instruant, et delinquentes arguant. Talis profecto centurio esse debuit, qui nisi severam disciplinam conservasset inter milites suos, nequaquam potuisset dicere : *Dico huic : Vade et vadit ; et alii : Veni et venit ; alii servo : Fac hoc et facit.* Signum ergo est, immorigeros minime ab eo toleratos esse, cujus rei præceptum mysticum fuit illud Levit. XIV. de lepra domus emundanda. Jubetur enim ibi paterfamilias, si forte in domo ejus appareat aliqua plaga lepræ, vocare sacerdotem, qui exportatis omnibus eam claudat per septem dies : postmodum si adhuc appareat lepra, lapides illos, qui videntur maculati, eruere et projicere foras, domum autem intrinsecus radere et rasuram ejicere. Lepra hæc nihil aliud significat, quam pravos mores in aliqua domo, qui necessario castigandi et mundandi sunt. Sed non est necesse, ut paterfamilias, si habeat in familia lapides aliquos leprosos et male moratos homines, sacerdotem advocet; ipsemet in domo sua sacerdos sit, imò et episcopus, ut vult S. Augustinus, tract. LI. in Joan. « Pro Christo, inquit, et pro vita æterna suos admoneat; doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat charitatem; ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium, etc. » Hæc Augustinus. Qui etiam in epistola ad comitem scribit : « Quæso, mi frater, omnibus tibi subjectis a majore ad minorem, dulcedinem regni cœlestis, et amaritudinem ac timorem gehennæ annunties, et de eorum salute sollicitus et vigil existas, quia pro omnibus tibi subjectis, qui in domo tua sunt, rationem Deo reddes. Suade ergo eis, ut caveant a superbia, detractione, ebrietate, etc. » Hæc Augustinus. Igitur primo, corrigat et coerceat delinquentes, et si opus, carceri includat. Ubi hoc nihil profi-

cere videt; eruat leprosos lapides, et e domo exterminet incorrigibiles, reliquos placabili admonitione radat. Sic enim et Dominus præcepit abscedi membra scandalosa. Melius est tibi sine servis ingredi cœlum, quam cum perversis servis projici in infernum. Ejusmodi purgationem et reformationem instituit Jacob, Gen. XXXV. cum metueret, ne Sichimitæ de eo ultionem sumerent ob cladem eis illatam a filiis : *Abjicite deos alienos, inquit ad familiam suam, qui in medio vestri sunt, et mundamini ac mutate vestimenta vestra. Surgite et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo.* Ubi primo, discant domini tempore periculoso belli, pestis, vel simili hortari familiam suam ad purgandas conscientias per confessionem. Secundo, exemplo eis præire; non enim ait : *Surgite et ascendite*; sed : *Surgite et ascendamus.* Tertio, compellere servos, ut abjiciant deos alienos, id est, turpitudinem vitæ, blasphemias, detractiones, rancores, invidias, etc. ne propter unius malam vitam tota domus ultionem Dei incurrat : uti domus Achan propter ipsius crimen, Jos. c. VII. necnon ut festis diebus ascendant in Bethel, id est, domum Dei tempore debito ad orationem, s. communionem, etc. atque ita adlaborare, ut spirituales eorum ægri tudines curentur, quemadmodum et centurio absque dubio servum induxit ad Christi fidem, post impetratam ei sanitatem. Multorum in ædibus jacent servi longe infirmiores, quia in vitiis et dissolutione. Plurimi etiam paralytici, qui præ somnolentia et pigritia negligunt missam et concionem festis diebus. Dicant istis domini : *Vade, vade ad templum.* Ac nisi illi vadant, baculum arripiant et paralyticos suos ambulare faciant.

Vicissim servi gerant ut discipulos sese, et cum ut plurimum sint stipites et trunci, patiantur se formari et elaborari manibus dominorum. Unde apostolus Ephes. VI. *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Ecce cum timore et tremore; non cum irrisione et contemptu. Deinde in simplicitate cordis vestri; non cum astutia, elusione, fraude, etc. nec putent se rem melius intelligere, quam dominos. Denique, *sicut Christo*, quia ut idem apostolus ad Romanos XIII. ait : *Omnis potestas a Deo est, et qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Qua in re cogitent quæso servi et ancillæ, se esse infirmum hunc centurionis puerum (siquidem revera plerumque sunt pueri, id est, ignorantes et inexperti : ægri et paralytici, id est, fragiles, dissoluti, petulantes, etc.) Aliorum ergo opera, ductu et imperio egent; proinde patienter ferant et libenter acceptent, si quando

errores eorum corriguntur et castigantur a dominis. Et quomodo, o serve, tibi placeret, si forte ægrotus a domino destituereris et foras in plateas ejicereris? Nonne in cælum vocem attolleres, et Deum vindicem invocares? Audi querelam ægri cujusdam servi Ægyptii, qui ob ægritudinem in agro derelictus a domino, per triduum neque panem viderat neque aquam; inventus tandem a servis David, et rogatus unde esset: *Puer Ægyptius*, inquit, *ego sum, servus viri Amalecitarum: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cepi nudiustertius*, I. Reg. XXX. At qui longe major crudelitas est, si cum sis perversus, non argueris a domino, ad mortem enim æternam pergis, corvis tartareis præda futurus. Quare si negligeret te in eo statu dominus, in inferno ei maledicturus esses.

III. Domini sint quasi tutores, et curatores servorum suorum pro ipsorum vita et necessitatibus solliciti, exemplo centurionis, qui ad Christum veniens, afflictionem servi magno commiserationis sensu exposuit. Huc pertinet, quod apostolus I. Timoth. V. ait: *Si quis suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*. Peccat enim non tantum contra legem christianam, sed etiam contra legem naturalem, quam infideles, uti centurio noster, observarunt, præcipientem, ut bene merita remunerentur. Bestiam igitur, non hominem dicere oportebit, qui Pharaonis instar servos atterit laboribus, et renumerat flagellis. Nec male dixerit aliquis similem vel etiam deteriorem crocodilo, qui teste Plinio, libro VIII. capite XXV. Heliodoro, Æliano, Solino, et aliis, cum lingua careat, ac proinde ad expurgandos dentes et fauces alieno obsequio indigeat, trochili aviculæ, quæ aliis regulus dicitur, opera ad hoc utitur aperto ore hians, et dum rostro ejus perpurgatur a ciborum reliquiis et fæcibus ori adhærentibus, suaviter obdormit: nihil aliud rependens tam fidæ aviculæ, quam fetidas illas gutturis reliquias, et si merces vocari potest, vitæ impunitatem. Quam tamen ingratitude non impune fert; siquidem ichneumon, mus Indicus a quibusdam vocatus, beneficio illius trochili crocodilum sopientis, in ejusdem fauces insilit et intestina illius, uterum denique ipsum rodendo perrumpens, bestiam occidit. Ad eundem modum inhumani quidam domini, licet opera servorum indigeant, et utantur ad sordidissima quævis obsequia, parum tamen aut nihil eis rependunt, nisi forte vilissimas ciborum reliquias et quasi fæces; quandoque etiam pro beneficio haberi volunt, si quos non omnino confecerint. Sed aderit aliquando plorator ichneumon aliquis, qui pauperum labores

in perniciem eorum vertet. Ni fallor; ita evenit Ægyptio illi hero, qui servum supradictum deseruit corvis aliisque in prædam. Indicio enim et ductu illius servi David ad locum pervenit, ubi herusille cum sociis prædonibus morabatur: quorum plerosque occidit et reliquos in fugam egit, prædamque illorum omnem abstulit, I. Regum XXX. Non remanent inultæ commissæ in servos injuriæ, sed clamor eorum intrat in aures Domini Sabaoth, eumque in ultionem adducit.

Habent vero vicissim servi, quod muneri suo attendant, et justa appellationem suam vere serviant. *Non ad oculum servientes*, inquit apostolus Ephes. VI. *quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi. Scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino*. Sciebat nimirum apostolus multos esse ejusmodi servos, qui tantum ad oculum serviunt, et quamdiu videntur ab hero, laborant: ipso dorsum vertente, otiantur, nugantur, fabulantur. Sed vellem isti servirent, sicut monet Sanctus Chrysostomus, hom. XXII. in epist. ad Ephes. ad oculum Dei, qui labores eorum et otia videt, ac suo tempore ponderabit paratoque pretio persolvat. Quod si oculus hominis calcare addere laboranti potest, quanto magis oculus Dei? Satis est aliquibus, quod mercedem accipiant, non curantes, quomodo eam meruerint. Legant isti quid acciderit servo Elisæi Giezi, IV. Regum V. Cum enim is clam domino suo, munera exigeret a Naamane (quem a lepra curaverat Elisæus) contra domini sui voluntatem, putans id dominum suum latere, vix domum redierat, subito a domino audivit: *Unde venis Giezi?* Et ille: *Non ixit servus tuus quoquam*. At ille: *Nonne cor meum in præsentem erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, etc. Sed et lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix*, inquit Scriptura. Quod si oculus hominis præsens fuit, cum servus absens infideliter contra dominum suum egit, latere putatis, servi, oculos Dei, quæ perfide agitis et inique accipitis? Et accipiunt quidem aliqui mercedem, quam non meruere, sed quemadmodum Giezi cum argento lepram, et Judas cum buccella accepit diabolum: ita et servi iniqui cum mercede accipiunt lepram peccati et diabolum in carnificem: a quo et dominos et servos, nosque cum illis omnes servare dignetur Deus

CONCIO II.

VOLUNTATEM NOSTRAM CUM DIVINA CONFORMANDAM.

I. Quia est potentissima. — II. Quia rectissima. — III. Quia benignissima.

THEMA.

Domine si vis, potes me mundare. Matth. VIII.

Pulcherrimum et utilissimum documentum in hodierno evangelio tradit nobis leprosus, qua ratione scilicet voluntatem nostram conformare cum divina per omnia debeamus. *Domine si vis*, inquit, *potes me mundare*; quasi dicat: Si tu vis, volo; si non vis, nolo. Vidit nimirum iste primo quidem Christum nulla ratione cogi posse: ejus ergo voluntati viam pandit. Vidit deinde, se nescire an æqua foret petitio sua, scire autem hoc Christum. Vidit denique incertum esse, an expediret sibi a lepra mundari, Christo soli compertum esse. Ergo sapienter ait: *Domine, si vis*; ideoque mox auditus, quod petiit, impetravit. Hujus ergo leprosi scholam hodie frequentemus.

Sponsa sancta, dum a capite ad calcem commendat sponsum, inter alia de ejus pedibus inquit Cantic. cap. V. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*. Pedibus fertur, quo vult, corpus; et voluntate anima. Voluntas autem Dei duplex est, antecedens et consequens; illa non considerat hominum merita: hæc vero maxime. Rursum alia voluntas signi, qua præcipit quid velit: alia beneplaciti, qua absolute facit, quod vult. Denique alia immissiva, qua immittit pœnas: alia permissiva, qua permittit culpas seu peccata. Notat ergo sponsa in illis verbis tres conditiones voluntatis divinæ, propter quas ei nostram merito conformare debemus.

I. Quia voluntas Dei est potentissima: nulla enim ratione a nobis mutari, subterfugi vel eludi potest. Ideo pedes ejus marmorei dicuntur, quia potentissimo gressu ambulat et omnia sibi cedere facit, alioquin obvia quæque obterit vel elidit. Hoc sua ad Deum oratione expressit Mardocheus, cum ait: *Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditone enim tui cuncta sunt posita, et non est, qui tua possit resistere voluntati*, Esth. c. XIII. Quare primo, cum tibi afflictio aliqua venit, sive ab hominibus, sive a creaturis aliis, quam evitare nequis, cogita eam non aliunde, quam a Deo proficisci, cui resistere impossibile sit, adeoque æquo animo tolerandam. Ita fecit Joseph, Genes. c. L. qui fratribus veniam sceleris in eum com-

missi petentibus respondit: *Nolite timere num; Dei possumus resistere voluntati?* q. d. Deus voluit peccatum vestrum permittere, et ordinare primo, ad meam humiliationem, deinde, ad meam exaltationem. Neutri voluntati resistere potuimus (proprie loquendo) non igitur hoc vos perturbet. Sic apud Eviratum, in prato spir. abbas quidam, cui discipulus per imprudentiam in mensa olera peramara apposuit, dissimulavit rem. Gustans postea discipulus ex iisdem, errorem agnovit et veniam appetiit; cui abbas: *Voluntas*, inquit, *Dei fuit, ut talia mihi apponeres; si enim Deus aliud voluisset, effecisset ut alia proponeres*. Quæ dementia est, potius velle trahi, quam sequi? Quando quis ab apparitoribus armatis ad judicem evocatur, solet is rogare ne sibi vincula aut manus injiciantur, velle se ultro sequi, quocumque vocasset judex. Cur non idem facimus Deo, cui multo adhuc minus possumus resistere? Secundo, idem cogita de afflictionibus imminentibus cum malum tibi inferendum vel bonum auferendum metuis; cogita, inquam, non posse tibi quidquam contra Dei voluntatem accidere. Vult te Deus castigare? Non poteris obsistere. Vult te exaltare vel ditare? Non poterunt alii obsistere, et ita in aliis. Sanctus Wolstanus episcopus erat sanctæ vitæ, quem cum invidi quidam episcopatu cedere velut minus eruditum coegissent, ipse pedum episcopale depositurus, lapidi infixit et abiit. Sed cum plures accedere et pedum tollere (tamquam successuri in episcopatu) jussi, id eximere non possent, utpote durissimo lapidi pertinaciter infixum; jussus tandem Wolstanus repetere pedum suum, nulla mora id extraxit ac recepit, ut in ejus vita 19. januarii. Omni sua potentia et astutia non potuit Herodes e medio tollere Christum infantem: nec Judæi suis insidiis eundem neci tradere, antequam ipsemet vellet; nam et per medium illorum ibat, cum eum præcipitare vellent: et alias cum gestirent eundem lapidare, quietus inter eos docuit, *quia nondum venerat hora ejus*, nondumque id a Deo decretum erat. Nec Saul omnibus suis machinationibus potuit comprehendere Davidem, hominem privatam toties sibi obvium et quæsitum cunctis diebus, quia scilicet *non dedit eum Deus in manus ejus*, ut dicitur I. Reg. XXIII. Unde colligimus sine Dei voluntate neminem nobis nocere posse.

E contra tua voluntate Deo resistendo, quæso quid efficies? Lacedæmonii cum domi invicti essent sub Lycurgo legislatore suo, eo defuncto, statim adversus Tegeates se ducere voluerunt; cumque compedes secum vincendis iis portassent, ipsi ab illis victi et vincti abducebantur,